



2b. 15



ILLUSTRISSIMUS

Princeps ac Dominus

Dn.

GEORGIUS

Lignicensium & Bregensium

in Silesiâ

dux augustissimus

RECTOR ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ

Magnificentissimus

PRO-RECTORE

M. CHRISTOPHORO NEANDRO,

Practicæ Philosophiæ Professore P.

*Omnibus & singulis reipub. literariis
civibus*

THESMOPHORIA

sollemniter indicit:

Eosq;

Ad audiendas leges, quibus Athenæ Mar-
chicæ præclarè fundatæ sunt; & quam illis præ-
missurus est, oratiuncu-
lam.

Prid. Nov. Martij.

In

ACROATERIO COLLEGII MAIORE

clementer invitatur, amanter

evocat.

LITERIS HARTMANNIANIS

GEORGIUS

Magister Georgius

Magister

Magister Georgius

Magister

Magister Georgius



Magister

Magister Georgius

Magister

Magister

Magister Georgius

Magister

Magister Georgius





Itacus Mitylenæus, is qui cum paucis aliis non suo, sed populorum omnium suffragio Sapiens usurpatur, rogatus aliquando à Lydorū Rege Cræso, ut diceret, quodnam maximum arbitraretur imperium; ποικίλα, inquit, ξύλα, varij ligni: alludens ad leges, quæ in tabulis olim roboreis, sicut Romæ deinde in æneis, novissime in eboreis inscriptæ parietibus affigebantur, ut à populo legerentur. Magnifica verò vox, & tanto ac tam sapiente viro digna: quæ declarat, eum non aut mænium spissitudini, aut turrium altitudini, aut arcium & castellorum firmitudini, aut civium multitudini, aut ædificiorum sollerti & subtili descriptioni; sed honestarum legum sanctioni & observationi salutem atq; incolumitatem rerum publ. accepto tulisse. nec injuriã. Quem admodum enim, teste Romanæ rei scriptore Livio, *multitudo coalescere in populi unius corpus nullã re, praterquam legibus potest: sic tueri se eadem & sustinere sine legibus, quas propugnacula & muros otij atq; tranquillitatis* Pomponius Lætus dicebat, etiamsi velit, non valet. Quod ut aliarum rerum publ. conditores, quos de hominum genere optimè meritos fuisse, & maximorum illis bonorum auctores existisse Sapiens autumat; ita primi academix hujus Parentes illustrissimi, quorum ad venerandum nomen multoties scientiarum officinæ hac in urbe structæ exsilire gestiunt, comperit cum haberent; in fundatione hujus doctrinæ & literarum gymnasij, pietatisq; & virtutum domicilij, non nudum modò & exanime corpus constituere; sed animã

quoq; & mente, h. e. legibus salutaribus & honestis idem informare & continere voluerunt. Utq; mens ista corpus melius foveret ac regeret: atq; ipsa etiam vigeret & floret: sapienter admodum ex præcepto Jovis Cretensium gubernatori legisq; latori Minoi dato sanxere: ut leges istæ quolibet semestri, atq; ita quotannis bis publicè recitarentur: ne illarum ignorantiam improbi adfectibus & pravitate suæ prætere, aut sub eâ, tanquam Ajacis clypeo, tecti se à pœnâ securos præstare; ad earum verò normam omnes, qui in studiis sunt, vitam moresq; suos accommodare possent. Neq; enim in cætu literato quenquam reperiunt iri credebant, aut ita freni impatientem, ut jura negaret sibi nata: aut ita animi impotentem, ut iniquum esse duceret: legum vinculis constrictam tenere juventutem illam: quæ è scholarum trivialium quasi carceribus emissa in libertatem sese vindicavit: quæq; præ cæteris hominibus non libera tantum sit, sed & ingenua, & sapientiæ studiosa, cujus possessio sola, de gravissimo Stoicorum judicio, homines liberos facit. Quam opinionem si hodieq; sunt qui arctè teneant, & mordicus defendant: ij velim paullo accuratius considerent, quas ob causas conditæ, & tam præclaris legibus fundatæ, tantisq; privilegiis dotatæ sint scholæ regię seu academiæ: nempe *non ut sint effrenata licentia fana, sed modestia & virtutum omnium latissima templa: nec ut petulantia, nequitia & luxuria juvenilis stabula, sed vera libertatis & dignitatum sint domicilia.* Libertatem autem, nisi qui sapere ejurarit, nemo dixerit aut definierit ἐξουσίαν ποιεῖν ὁ, πῶς βήλεται, hoc est, ut Cicero reddidit, *potestatem vivendi & faciendi ut velis.* Hæc enim ἀγαν ἐλευθερία & ἀκρατία, quam sic Duum viri in Philosophia vocant, immoderata & legibus non

tem-

temperata libertas non est vera libertas, sed potius licentia: quam tamen leves homines & cupiditatibus suis velificantes libertatem dicunt: tamen subdolè rem detorquent, & malitiosè immutant nomen: id quod fit in aliis quoq; vitiis, quæ sub virtutum nomine nobis obrepunt: quomodo temeritas sub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignavia: & pro cauto timidus accipitur. Atq; hoc genus hominum objurgationes non magis fert, quam argentum vivum calorem: & irascitur recta monentibus: vitamq; suam vult esse *ἀνυπεύθυνον καὶ ἀνεξέταστον*: quam Proavus quondam noster GEORGIUS II. inclytæ recordationis, Lignicensium & Brigenſium in SIL. Dux illustris.

justissimus unus

Qui fuit in Silesia, & servantissimus æqui, legumq; & disciplinæ custos acerrimus, cum Socrate ἔβιωτὸν ἀνθρώπων esse, gravissimè dicere solebat, hoc est, eam, quam vivere velle nemo debeat. Enimverò isti ut effrenati equi exsultando sic efferuntur cupiditatibus suis: & quasi æstu quodam abrepti reflantibus ventis, quò pellit libido, non quò ratio intendit, temerè feruntur. Sed hæc, ut diximus, non est vera libertas: sed potius dissoluta licentia, & maxima vitæ pravitas: atq; ut Philosophorum columen velut ex tripode non Apollinis, sed rectæ rationis pronunciat, in servitutem desinit: immò servitus est ipsissima: & vita Cycloporum, quibus, ut Homerus scribit,

ἔτ' ἀγοραὶ βυληφόροι, ἔτε γέμισες

neq; conciones sunt consiliariæ, neq; iura.

Illam bene nati & liberaliter educati homines cum prudentibus dicunt & ducunt libertatem: quæ sit naturalis facultas faciendi, quod cuiq; libet, nisi si quid vi aut legibus prohibea-

A 3.

tur.

tur. Liber enim homo, etsi potestatem habet faciendi, quod ipsi libet: tamen jure interdum vetatur id facere, quod libet: quia legibus congruenter vivit: & ad earum præscriptum omnia facit. Quemadmodum autem non est timidus ille dicendus, qui leges reformidat: sicut præclare scribit Philonides apud Stobæum

ἔκ' ἔστιν ἄδεις δειλὸς ὁ δεδοικὼς νόμον
πρὸς τὰς πολεμίας δ' ἔστιν ἀνδρείας κρείσσις
ὑπὸ τῶν δικαίων δ' ἔστιν ἠπείθεος καλόν

non is qui legem metuit dicendus est timidus:
sed fortitudo in pugna adversus hostes æstimatur:
à justo autem etiam superari pulcrum est:

Similem in modum, qui facit, non quod libet, sed quod per leges licet: immò, quia *multa lex nō vetat fieri, quæ vetat pudor,* qui non quid licet, sed quid decet facit, ille propterea non erit servus. Nam ut iterum Sapiens, ἄδει ὀϊεθεὺς δαλείαν, τὸ ζῆν πρὸς πολιτείαν, ἀλλὰ σωτηρίαν: *non servitus putanda sed salus potius est, reipub. convenienter vivere, & legibus parere.* Et egregie M. Tullius, in quem pulcerrimum illud elogium est: Demosthenes tibi eripuit, ne esses primus Orator: tu illi, ne solus: is inquam in Cluentiana, legum, ait, *ministri magistratus: legum interpretes judices: legum denique omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.* Quod si quæ alia respub., sive umbratilis ea sit & scripta, sive vera & reapse exstiterit, præclare & diligenter constitutas habuit leges: hæc profectò à *Serenissimis Electoribus Brandenburgicis, Consanguineis nostris honoratissimis* fundata & magnificè dotata respub. literaria habet: de quibus multò verius dicitur, quàm quod de Persarum legibus olim usurpari solebat: *eas nimirum ita comparatas esse, ut homines à criminibus potius revocent, quàm crimina puniant.*

niant. Sunt eæ insuper nec ita obscura, quin ab omnibus intelligi; nec ita rigida & dura, ut non atramento, sed sanguine scripta videri, quod de Draconis olim legibus Demades judicabat; aut non servari possint à mediocriter diligentibus, & cupiditatum suorum Pegasus aureo Palladis freno hoc est rectâ ratione temperantibus. Quod ut omnes reipub. hujus literariæ cives intelligant plenius, animadvertant planius, credant firmius: utq; eadem nos operâ muneri nostro, quo in præsentia fungimur, satisfaciamus; & per vestigiâ ab Antecessoribus nostris calcata ingrediamur, rectumq; quod ajunt, clavum teneamus: re cum CL. viro, Dn. M. Christophoro Neandro, qui vices in gubernandâ repub. nostras gerit, cæterisq; Academia Patribus communicatâ, proximum diem Jovis, qui mensis hujus sextus est, recitationi legum illarum in auditorio Philosophorum majore, cum bono Deo destinavim9. Quò si post horam octavam matutinam sequestratis non nihil studiis suis, uti decet, & nos clementer cupim9, frequentes confluent, & oratiunculæ, quam habituri sumus, legibusq; aures atq; animum patefacient: rem hac in parte non modò nobis gratissimam: sed suo etiam nomine ac professione dignam fecerint. Decet enim omninò & est necesse omnes academiae hujus cives, cujuscunq; sint ætatis & ordinis, ad audiendas leges accurrere: *natu quidem majores*, ut ipsi, quâvis leges perspectas habeant, suâ tamen præsentia quasi facem illis alluceant, suaq; auctoritate & judicii testimonio junioribus eas commendent: *minores vero* natu, ut quas ignorant, semel rectè cognoscant, ob oculos semper sibi ponant, & ad earum tenorem mores actionesq; suas omnes, tanquam ad rectissimam vitæ regulam, componant. *Non enim leges ad mores trabenda, sed mores ad leges*

leges sunt corrigendi: perinde atq; lapis amussi applicandus est, non amussis lapidi. Quanquam non heri aut hodie primum, sed jam ab antiquo leges mori serviunt: atq; ut Plautus venustè scripsit,

*Mores leges jam perduxerunt in potestatem suam,
Eæ miseræ ad parietem sunt fixæ clavis ferreis,
Ubi malos mores adfigi nimio fuerat æquius,
Sed ista verbis exagitare nolumus. Hoc, ut Senecæ utamur verbis, majores nostri questi sunt: hoc nos querimus: hoc posteri nostri querentur: everfos esse mores: regnare nequitiam: in deterioribus res humanas & in omne nefas labi. Vos, qui Athenas Marcbicas incolitis, constituto die adeste frequentes: audite lubentes: legibusq; obedite volentes: quibus nempe parere libertas est: repugnare servitus: quas despiciere barbaries est: violare impietas: servare maxima conscientia tranquillitas, vita securitas. Benevalete. P. P. a. d. vi. Non. Martij anno post Christum natum Cl. Io. cxxiii, sub sigillo Rectoratus nostri.*

C. N.

Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021



5b-700

V017

MC





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



ISSIMUS

Dominus

GIUS

Bregensium

est
tissimus

FRANCOFURTANÆ

tissimus

CTORE

RO NEANDRO,

hiæ Professore P.

s reipub. literaria

us

PHORIA

indicit:

quibus Athenæ Mar-

unt; & quam illis præ-

oratiuncu-

Martij.

ALLEGII MAIORE

tat, amanter

at.

ANNIANIS

36

34

